

APPENDIX 2

- A. Latin Copy of Ignatian Letter [March 1556]
 B. Latin Copy of Rules for *Sentire cum Ecclesia* [SpEx nn. 346-370]

[A.] EPISTOLA S. P. N. IGNATII
 DE VIRTUTE OBEDIENTIAE²⁰⁸

Ignatius Loyola Fratribus Societatis Iesu qui sunt in Lusitania, gratiam et amorem Christi Domini sempiternum.

1. Magnam animi voluptatem capio, Fratres in Christo carissimi, cum affertur ad me quam acri studio conatuque ad summam virtutis ac divini obsequii perfectionem enitamini; beneficio illius qui vos, ut ad hoc vitae institutum vocavit, sic in eodem pro sua clementia retinet dirigitque ad beatum finem, ad quem qui sunt ab ipso electi perveniunt.

2. Atque ego sane, cum vos omnibus donis ornamentisque spiritualibus perfectos, tum vero, quod alias ex me cognovistis, in primis obedientiae virtute praestantissimos esse cupio; idque non solum ob eximia quaedam ac singularia eius bona, quae tot tamque illustribus Sacrarum Litterarum testimoniis atque exemplis in Testamento aequae Novo ac Veteri comprobantur; sed etiam, quo, ut est apud St. Gregorium, *obedientia sola virtus est quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit.*²⁰⁹ Haec dum floruerit, florebut procul dubio reliquae, edentque fructus, quales et ego in animis vestris exopto, et suo iure postulat is qui humanum genus, neglectae obedientiae scelere afflictum ac perditum, salutari ipsemet obedientia reparavit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis* [Ph 2:8].

3. Ab aliis religiosis Ordinibus facilius patiamur superari nos ieiuniis, vigiliis et cetera victus cultusque asperitate, quam suo quique ritu ac disciplina sancta suscipiunt; vera quidem ac perfecta obedientia, abdicationeque voluntatis atque iudicii maxime velim, Frateres carissimi, esse conspicuos quicumque in hac Societate Deo Domino nostro deserviunt, eiusdemque Societatis veram germanamque sobolem hac quasi nota distinguunt qui numquam intueantur personam ipsam cui obedient, sed in ea Christum Dominum, cuius causa obediunt. Si quidem Superiori, nec si prudentia, bonitate ceterisque quibuslibet divinis donis ornatus instructusque sit, propterea obtemperandum est; sed ob id solum quod vices gerat Dei, eiusdemque auctoritate fungatur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* [Lk 10:16]; sed contra, sive consilio aut prudentia remittendum, quatenus ille Superior est; quando illius personam refert cuius sapientia falli non potest, supplebitque ipse quidquid ministro defuerit, sive probitate aliisque ornamentis careat. Siquidem disertis verbis Christus Dominus, cum dixisset: *Super cathedram Moysi sederunt*

²⁰⁸ Cf. St. Gaspar Bertoni, CF ## 138-151.

²⁰⁹ *Moralium*, Lib. 35, c. 14, n. 28.

Scribae at Pharisei, protinus addidit: Omnia ergo quaedumque dixerint servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere. [Mt 23:2, 3].

4. Quocirca sedulo vos in eam curam atque exercitationem incumbere cupio ut Christum Dominum quolibet agnoscere studeatis, in eoque divinae Maiestatis reverentiam atque obedientiam summa cum religione praestare. Quod vobis minus mirum videbitur, si animadverteritis praeceptum esse ab Apostolo ut Superioribus, etiam secularibus ethnicisque, pareamus, ut Christo ex quo omnis potestas bene instructa descendit; sic enim scribit ille ad Ephesios: *obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus* [Ep 6; 5-7]. Atque hinc existimare poteritis ipsi, cum se Religiosus quispiam regendum ac moderandum alteri tradidit, non solum ut Superior, sed etiam nominatim ut Christi partes agenti, quo illum loco apud animum suum habere, utrum ut hominem an ut Christi vicarium debeat intueri.

5. Iam vero illud etiam vobis clare compertum esse ac in animis vestris penitus insidere vehementer cupio, infirmam et valde imperfectam esse illam obedientiae formam quae mandata dumtaxat opere exsequitur; nec virtutis nomine dignam, nisi ad alterum gradum ascendat qui voluntatem Superioris suam efficiat, et cum ea ita concordet ut, non solum in effectu exesecutio appareat; verum etiam in affectu consensio; sicque idem velit uterque, idem nolit. Atque propterea in Sacris Litteris legimus; *Melior est obedientia quam victimae* [1 K 15:22]; siquidem, ut S. Gregorius docet, *per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur* ²¹⁰; quae quidem pars animi, quoniam est adeo praestans, sic fit ut eius oblatio, Domino ac Creatori nostro per obedientiam facta, magni sit aestimanda.

6. Quanto in errore, quamque periculoso versantur, non solum ii qui in iis quae ad carnem et sanguinem pertinent, sed illi etiam qui in rebus alioquin admodum sanctis ac spiritualibus, ut ieiuniis, precationibus aliisve quibusvis pietatis operibus, fas putant a praescripto Superioribus ac voluntate discedere! Audiant quod sapienter annotat Cassianus in Collatione Danielis Abbatis: *Unum sane, inquit, atque idem inobedientiae genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium, senioris violare mandatum; tamque dispendiosum est pro somno quam pro vigilantia Monasterii statuta convellere; tantum denique est Abbatis transire praeceptum ut legas quantum si contempnas ut dormias.* ²¹¹ Sancta fuit actio Marthae, sancta contemplatio Magdalenae, sancta paenitentia, et lacrymae, quibus pedes Christi Domini rigabantur; sed haec omnia nimirum oportuit fieri in Bethania, quam vocem domum obedientiae interpretantur, ut ea re, quemadmodum ait S. Bernardus, nobis significare voluisse Dominus videatur, nec *studium bonae actionis, nec otium sanctae*

²¹⁰ *Moralium*, Lib. 35, c. 14, n. 28.

²¹¹ *Collationes*, Lib. V, c. 20.

contemplationis, nec lacrymas paenitentias extra Bethaniam illi accepta esse potuisse.²¹²

7. Quocirca voluntates vestras, Fratres carissimi, quoad eius fieri potest, omnino deponite; libertatem Conditori vestro, quam vobis ipsemet elargitus est, in eius ministris libere tradite ac dicite. Nolite exiguum vestri liberi arbitrii fructum putare quod liceat vobis illud, a quo id accepistis, eidem per obedientiam plene reddere. Quod enim facitis, non modo non perditis ipsum, verum etiam augetis atque perficitis; quippe qui vestras omnes voluntates certissima rectitudinis regula moderamini voluntate divina, quam videlicet interpretatur is qui vobis Dei nomine praesidet.

8. Itaque diligenter illud etiam cavendum est ne Superioris ullo unquam tempore voluntatem, quam ducere pro divina debetis, ad vestram detorquere nitamini; id enim esset, non vestram divinae conformare, sed divinam vestrae voluntatis norma regere velle, eiusdem divinae Sapientiae ordinem invertentes. Sane quam magnus est error, et quidem eorum quos amor sui obcaecavit, obedientes existimare sese, cum Superiore ad id quod ipsimet volunt aliqua ratione pertraxerint! Sanctum Bernardum, in hac re praeclar exercitatum, audite: *Quisquis, inquit, vel aperte, vel occulte satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse Praelato, sed magis ei Praelatus obedit.*²¹³ Quae cum ita sint, quisquis ad obedientiae virtutem velit pervenire oportet ad hunc secundum obedientiae gradum ascendat ut Superioris non solum iussa exsequatur, sed etiam eius voluntatem suam faciat, seu potius suam exuat ut divinam, a Superiore expositam, induat.

9. Qui vero se totum penitus immolare vult Deo, praeter voluntatem, intelligentiam quoque, qui tertius et summus est gradus obedientiae, offerat necesse est; ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat quod Superior, eiusque iudicio subiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere. Quae vis animi, tametsi non ea qua voluntas pollet libertate praedita est, atque ipsa natura fertur eius assensu in id quod sibi veri speciem praebet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitae veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius quam in illam partem inclinari. Quae res cum incidunt, debet quisquis obedientiam profiteretur inclinare sese in sententiam Superioris. Etenim, cum obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo sine ulla prorsus imminutione Conditori suo ac Domino per manus ministrorum in caritatis igne immolatur; tamquam sit eadem renuntiatio quaedam integra, per quam omni suo iure sponte decedit Religiosus, ut divinae Providentiae Superioris ductu gubernandum ac possidendum ultro sese addicat ac mancipet, negari non potest quin obedientia comprehendat, non solum executionem ut imperata quis faciat, et voluntatem ut libenter faciat; sed etiam iudicium, ut quaecumque Superior mandato ac sentit, eadem inferiori et recta et

²¹² Sermo ad milites de Templo. c. 13.

²¹³ Sermo de tribus ordin. Eccles., n. 4.

vera esse videantur, quatenus, ut dixi, vi sua potest voluntas intelligentiam flectere.

10. Utinam hanc mentis et iudicii obedientiam ita et intellexerent homines et exercerent, ut grata Deo est ac omnibus qui in Religione vivunt necessaria! Nam ut in corporibus globisque celestibus, ut alius alium afficiat moveatque, requiritur ut certa quadam convenientia et ordine inferior orbis superiori subiciatur, sic in hominibus, cum alter alterius auctoritate movetur, quod per obedientiam fit, oportet ut is qui ab alterius nutu pendet, subserviat et obsecundet, ut virtus ab imperante ad eum devietur et influat. Haec autem obtemperandi obsecundandique ratio constare non potest, nisi voluntas ac iudicium inferioris voluntate ac iudicio congruat.

11. Iam vero, si finis et causa obedientiae spectatur, quemadmodum voluntas, ita et iudicium in eo quo nobis convenit decipi potest. Ergo, sicuti ne voluntas erret, cum Superioris voluntate coniungitur, sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est. *Ne imitaris prudentiae tuae* [Pr 3:5], Sacrae Litterae monent; atque in rebus etiam humanis censent sapientes vere prudentis esse sua ipsius prudentia minime fidere, praesertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato fere boni iudices esse non possunt. Quod si in rebus nostris alterius, etiam non Superioris, iudicium atque consilium nostro anteponendum est, quanto magis ipsius Superioris, cui nos ut Dei vicem gerenti ac divinae voluntatis interpreti, moderandos tradidimus? In causis vero personisque spiritualibus eo maior etiam cautio procul dubio est necessaria, quo gravius est spiritalis viae periculum, cum sine frenis consilii discretionisve in ea decurritur. Qua de re commode Cassianus in Collatione Abbatis Mosi ait: Nulla alio vitio tam praecipitem diabolus Monachum pertrahit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum suo iudicio persuaserit definitionique confidere.²¹⁴

12. Praeterea, nisi haec obedientia iudicii existat, fieri non potest ut vel consensus voluntatis vel executio talis sit qualem esse oportet; natura enim ita comparatum est ut animi nostri vires quae appetitivae dicuntur sequantur apprehensivas; et, nisi adhibita vi, voluntas, iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quod si forte quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem qua censetur perperam etiam praecipienti parendum esse, certe id stabile ac fixum esse non potest; atque ita perseverantia deficit, vel saltem obedientiae perfectio, quae in prompte et alacriter obediendo consistit; non enim ibi potest esse alacritas ac diligentia ubi est animorum sententiarumque dissensio. Perit etiam exsequendi studium et celeritas, cum ambigitur expediat necne facere quod iubemur; perit celebris illa obedientiae caecae simplicitas, cum apud nos ipsos in quaestionem vocationis rectene praecipiat an secus; atque etiam fortasse damnamus Superiorem quod ea mandet quae nobis non ita iucunda sunt; perit humilitas, quoniam etsi

²¹⁴ Collationes, Lib. II, c. 11. cf. St. Gaspar Bertoni – CF # 151 [Concluding number on the vow of Obedience].

ex altera parte paremus, ex altera tamen nosmetipsos Superiori praeferimus; perit in rebus arduis fortitudo; perit denique, ut summam complectar, virtutis huius vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes alique vitia non sane levia, quibus obedientiae pretium ac meritum prorsus extinguitur. Itaque S. Bernardus, de iis qui graviter ferunt imperata minus sibi suavia, sic ait: *Haec si moleste coeperis sustinere, si diiudicare Praelatam, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quo iubetur, non est haec virtus patientiae, sed velamentum malitiae.*²¹⁵ Quod si pax et tranquillitas animi quaeritur, certe hac non fruatur is qui habet intra sese causam perturbationis atque tumultus dissensionem videlicet iudicii proprii ab obedientiae lege.

13. Atque idcirco, tuendae concordiae causa, quae societatis omnis est vinculum, tantopere hortatur Apostolus ut ad ipsum omnes sapiant et dicant²¹⁶, nimirum, ut consentientibus et iudiciis et voluntatibus, mutuo foveantur et conserventur. Iam si unum eundemque oportet esse membrorum sensum et capitis, facile cernitur utrum sit aequius, caput membris an membra capiti consentire. Atque ex his quidem, quae dicta sunt hactenus, satis apparet obedientia iudicii quam sit necessaria.

14. Quam vero sit eadem ipsa perfecta grataque Domino, inde primum ostenditur, quod per eam praestantissima pars hominis ac pretiosissima Domino consecratur. Deinde, quod obediens ita fit holocaustum vivum gratumque Maiestati divinae, cum nihil suimet omnino retineat; postremo, quod magna est certaminis difficultas: frangit enim sese Dei causa obediens ipsemet, resistitque naturali propensione quae omnibus hominibus insita est, ad suam complectendam sequendamque sententiam. Ex his igitur rebus efficitur ut obedientia, tametsi proprie voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam ac paratam, nihilominus ad intelligentiam quoque ipsam, ut diximus, pertinere debeat, eamque inducere ad sentientem id ipsum quod sentit Superior; sic enim fiet, ut omnibus connixi viribus et voluntatis et intelligentiae, ad executionem celerem atque integram veniamus.

15. Vedeor mihi vos, Fratres carissimi, audire dicentes de virtutis quidem huiusce necessitate iam non ambigere; illud vero ut cognoscatis vehementer optare quo pacto eius perfectionem pervenire possitis. Huic ergo quaestioni cum S. Leone ita respondeo: *Nihil arduum est humilibus, et nihil asperum mitibus*²¹⁷; modo non desit vobis humilitas, non desit mansuetudo, non utique derit Deo benignitas ad vos adjuvandos, ut, quae sibi promisistis, ea praestare possitis, animo non solum aequo, sed etiam libenti.

16. Praeterea, vobis tria nominatim propono quae ad obediendum iudicii comparandam multum iuvant.

²¹⁵ Sermo III, de Circumcisione, n. 8.

²¹⁶ Rm 15:5; 1Co 1:10; 2 Co 13:11; Ph 2:2.

²¹⁷ Sermo V, de Epiphania. C. 3. PL 54, col. 252.

Primum illud est ut, quemadmodum initio dixi, non intueamini in persona Superiori hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immense, caritas infinita, qui nec decipi potest nec vos vult ipse decipere. Et quoniam conscii vobismet estis vos Dei amore iugum obedientiae subiisse ut in Superioris voluntate sequenda voluntatem divinam certius sequeremini, nolite dubitare quin pergat fidelissima Domini caritas, eorum ministerio quos vobis praefecit vos deinceps gubernare, et rectis itineribus ducere. Itaque Superioris vocem ac iussa, non secus ac Christi vocem, excipite siquidem Apostolus etiam scribens in hanc sententiam ad Colossenses, cum ad obtemperandum Praepositis subditos adhoratur, ait: *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus; scientes uod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite*²¹⁸. Sanctus vero Bernardus: *Sive Deus, inquit, sive homo, vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non praecipit homo*²¹⁹. Atque ita, si non hominem externis oculis, sed Deum inspexeritis internis, haud sane grave fuerit voluntates vestras atque iudicia conformare ad eam regulam actionum vestrarum quam ipsimet elegistis.

17. Altera est ratio ut, quod Superior mandat vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiose nitamini, improbare autem nequaquam. Atque ad eam ipsam rem proderit bene animatos affectosque esse ad id omne quod ipse iusserit; sic enim fiet non solum ut sinere molestia, sed etiam ut cum voluptate laetitiaque pareatis; nam, ut est apud S. Leonem, *non dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod iubetur.*²²⁰

18. Postrema subiciendi iudicii ratio est, cum facilius tutiorque, tunc etiam apud sanctos Patres in more posita, ut statuatis vobisqum ipsi quidquid Superior praecipit ipsius Dei praeceptum esse et voluntatem; atque, ut ad credenda quae catholica fides proponit toto animo assensuque vestro statim incumbitis, sic ad ea facienda quaecumque Superior dixerit caeco quodam impetu voluntatis, parendi cupidiae, sine ulla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham, filium Isaac immolare iussus; sic, Novi Testamenti tempore, aliquae e sanctis Patribus iis quod commemorat Cassianus, ut Ioannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum, non reputabat utilene esset an inutile, ut cum aridum lignum tanto ac tam diuturno labore per annum irrigavit; nec utrum fieri posset necne, ut cum conatus est tam ex animo ingens saxum solus dimovere loco quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent²²¹. Quod obedientiae genus ipsis interdum miraculis divinitus comprobatum videmus. Nam, ut alios taceam quos ipsi non ignoratis, Maurus, S. Benedicti discipulus, mandato Superioris lacum ingressus, nec mersus est²²²; alius

²¹⁸ Col 3:23, 24.

²¹⁹ De praecepto et dispensatione, c. 9, n. 19. PL 182, col. 871.

²²⁰ Sermo de ieiunio septimi mensis IV. PL 54, col. 444.

²²¹ De institutes renuntiantium. Lib. IV, c. 24. PL 49, col. 183.

²²² S. Gregorius, *Vita S. Benedicti* c. t PL 66, col. 146.

quidem, a Superiore iussus laeneam ad se ducere, illam cepit atque perduxit²²³. Est igitur haec ratio subiciendi proprii iudicii, ac sine ulla questione sancienti et collaudandi apud se quodcumque Superior iusserit, non solum sanctis viris usitata, sed etiam perfectae obedientiae studiosis imitanda omnibus in rebus quae cum peccato manifesto coniunctae non sunt.

19. Nec tamen incirco vetamini, si quid forte vobis occurrat a Superioris sententia diversum, idque vobis, consulto suppliciter Domino, exponendum videatur, quominus id ad Superiorem referre possitis. Verum in hac re, ne vos amor vestri iudiciumque decipiat, illa cautio est adhibenda et animo sitis et ante et post relationem aequissimo, non solum quod pertinent ad eam rem de qua agitur vel suscipiendam vel deponendam; sed etiam ad approbandum rectiusque putandum quidquid Superiori placuerit.

20. Atque haec quae de obedientia diximus, aequae privatis erga proximos Superiores, atque rectoribus Praepositisque localibus erga Provinciales, Provincialibus erga Generalem, Generali denique erga illum quem Deus ipsi praefecit, nempe suum in terris Vicarium, observanda sunt; sic ut et ordinum perfecta distinctio, ac proinde pax retineatur et caritas, sine qua nec Societatis nostrae nec alterius cuiuslibet sodalicii posset recta gubernatio conservari. Nimirum hoc modo Providentia illa divina disponit omnia suaviter²²⁴, infirma per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens. Hinc illa videlicet series; hinc et caelestium et aliorum omnium quae cientur corporum certis locis, ac sedibus inter sese apta connexio, quorum conversiones ad motus ab uno movente supremo gradatim omnes usque ad infirmos rite proveniunt. Idem in terris cum in omni civitate bonis instituta legibus, tam vero in hierarchia ecclesiastica cernitur, cuius omnia membra et functiones ab uno generali Christi Domini nostri Vicario derivantur; et quo accuratius haec dispositio et collocatio custoditur, eo rectior est gubernatio et melior. Contra vero huius ordinis negligentia quam gravia incommoda multis hominum societatibus importentur, nemo non videt. Atque idcirco in hac cuius mihi nonnullam procurationem ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem execeri vegereque percipio quasi in ea Societatis nostrae bonum ac salus universa consistant.

21. Quae cum ita sint, ut, unde exorsa est, ibidem terminetur epistola, vos ego per Christum Dominum nostrum obtestor, qui sese nobis non modo praeceptorem, sed etiam exemplar praebuit obedientiae, ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis; et, gloriosae victoriae appetentes atque avidi, vosmetipsos superare, id est excelsiorem et difficiliorem animi partem, voluntatem dico atque iudicium, expugnare et subicere studeatis; quo Dei Domini nostri solida veraque cognitio atque amor vestros ad se animos superare, id est excelsiorem et difficiliorem animi partem, voluntatem dico atque vestros ad se animos penitus trahat, totoque vitae huius et quasi peregrinationis curriculo usque eo gubernet ac regat, dum vos demum, aliosque complures vestra opera

²²³ De vitis Patrum, Lib. 3, c. 27. PL 73, col. 756.

²²⁴ Ws 8:1

**exemploque adiutos, ad ultimum et felicissimum finem, nimirum ad
beatitudinem sempiternam perducatur.**

**Roma,
septimo kal. Aprilis,
millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.**

**Omnium in Domino
Ignatius**

†
†††
†

[B.] Conclusion to the
Exercitia Spiritualia
[nn. 352-370]

[352] AD SENTIENDUM

vere, sicut debemus, in Ecclesia militante, serventur regulae sequentes.

[353] PRIMA: deposito omni iudicio proprio, debemus tenere animum paratum at promptum ad obediendum in omnibus verae Sponsae Christi Domini nostri, quae est nostra Mater Ecclesia Hierarchica.

[354] SECONDA: laudare confessionem, quae fit Sacerdoti, et susceptionem sanctissimi Sacramenti semel in anno, et multo magis quovis mense, et multo melius octavo quoque die, cum conditionibus requisitis ac debitis.

[355] TERTIA: laudare Missae auditionem frequentem; item cantus, psalmos, et longas orationes in Templo et extra illud: item horas ordinatas tempore destinato ad omne officium divinum, et ad omnem orationem, et omnes Horas canonicas.

[356] QUARTA: laudare multum Religiones, virginitatem et continentiam, et non adeo matrimonium, quantum ullum ex istis.

[357] QUINTA: laudare vota Religionis, obedientiae, paupertatis, castitatis, at aliarum perfectionum supererogationis. Et advertendum est, quod, cum votum sit circa res quae propius accedunt ad perfectionem Evangelicam, in iis quae ab illa elongantur, non debet fieri votum; v.g., de negotiatione exercenda, vel de matrimonio ineundo, etc.

[358] SEXTA: laudare reliquias Sanctorum, praestando illis reliquiis, venerationem, et faciendo orationem ad illos; laudando stationes, peregrationes, indulgentias, iubilaea, cruciatae, et candelas accensas in Ecclesiis.

[359] SEPTIMA laudare statuta circa ieiunia et abstinentias, ut quadragesimae, quattuor temporum, vigiliarum, feriae sextae, et sabbati; item paenitentias, non solum internas, sed etiam externas.

[360] OCTAVA: laudare ornamenta, et aedificia Ecclesiarum, item imagines, easque venerari secundum id quod repraesentant.

[362] NONA: laudare denique omnia praecepta Ecclesiae, animum gerendo promptum ad quaerendas rationes in eorum defensionem, et nullo modo in eorum impugnationem.

[362] DECIMA: debemus esse magis prompti ad probandum et laudandum tam statuta, commendationes, quam mores nostrorum Maiorum, i.e., Superiorum, quam ad reprehendendum; quia, etiamsi aliquando ea non sint, vel non essent

talia, i.e., quae laude digna sint, tamquam loqui contra illa, sive praedicando in publico, sive sermonem habendo coram personis vulgaribus, generaret potius murmuraciones et scandalum, quam utilitatem; atque ita indignaretur populus contra Maiores suos, sive temporales, sive spirituales. Itaque sicut damnosum est, male loqui ad plebem de Maioribus absentibus; ita potest utile esse loqui de malis eorum moribus ad illas ipsas personas, quae possunt iis remedium adferre.

[363] UNDECIMA: laudare doctrinam Positivam et Scholasticam: quia sicut magis proprium est Doctorum positivorum, ut Sancti Hieronymi, S. Augustinii et S. Gregorii, etc., movere affectus ad amandum in omnibus Deum Dominum nostrum, eique serviendum; ita est magis proprium, ut S. Thomae, S. Bonaventurae, et Magistri sententiarum, etc., res ad salutem aeternam necessarias definire vel declarare pro nostris temporibus, et ad magis impugnandum, et declarandum omnes errores, et omnes fallacias: quia Doctores scholastici, cum sint recentiores, non solum fructuose utuntur vera intelligentia sacrae Scripturae, et positivorum ac sanctorum Doctorum, sed etiam ipsi illuminati cum sint, et illustrati virutute divina, auxilium sumunt a Conciliis, canonibus, et constitutionibus sanctae nostrae Matris Ecclesiae.

[364] DUODECIMA: debemus cavere a faciendis comparationibus inter nos qui adhuc vivimus et Beatos vita functos; quandoquidem non parum in hoc erratur, e.g., cum dicitur: iste plus scit quam S. Augustinus; est alter vel maior S. Franciscus; est alter S. Paulus virtute, sanctitate, etc.

[365] DECIMA TERTA: ut in omnibus veritatem assequamur, debemus semper tenere, ut album quod ego video, credam esse nigrum, si Ecclesia Hierarchica ita illud definiat: credendo inter Christum Dominum nostrum, Sponsam et Ecclesiam eius Sponsam, eundem esse spiritum, qui nos gubernat et regit ad salutem animarum nostrarum; quia per eundem spiritum, et Dominum nostrum qui dedit decem mandata, regitur et gubernatur sancta nostra Mater Ecclesia.

[366] DECIMA QUARTA: licet verissimum sit, neminem posse salvari, quin sit praedestinatus, et quin habeat fidem et gratiam; tamen valde attendendum est in modo loquendi et disserendi de his omnibus.

[367] DECIMA QUINTA: non debemus loqui multum de praedestinatione per modum consuetudinis; sed, si aliquando et interdum sermon de illo habebitur, ita habeatur, ut plebs non veniat in errorem aliquem, ut quandoque solet, dicendo: si debeo salvari vel damnari iam determinatum est, et propter mea bona vel mala opera, iam non potest aliud evenire; et inde torpescunt negligent opera, quae conducunt ad salutem, et profectum spiritualem animarum suarum.

[368] DECIMA SEXTA: eadem ratione advertendum est, ne multum loquendo de fide, et cum multa intensione, sine ulla distinctione et declaratione, occasio

detur plebi torpescendi et pigritandi in operando, sive ante fidem charitate formatam, sive post.

[369] DECIMA SEPTIMA: item non debemus loqui tam copiose insistendo tantopere gratiae, ut generetur venenum quo tollatur libertas. Itaque de fide et gratia potest sermo haberi quantum fieri potest, cum auxilio divino, ad maiorem laudem divinae sua Maiestatis; sed non ita, neque iis modis, maxime in nostris temporibus tam periculosis, ut opera et liberum arbitrium capiant detrimentum aliquod, vel pro nihilo habeantur.

[370] DECIMA OCTAVA: licet super omnia aestimandum sit servire multum Deo Domino nostro ex puro amore; tamen debemus multum laudare timorem suae divinae Maiestatis: quia non solum timor filialis est res pia et sanctissima, sed etiam timor servilis, ubi qui aliud melius et utilis homo non assequatur, iuvat multum ad emergendum e peccato mortali; et postquam ex hoc emersit quis facile pervenit ad timorem filialem, quia totus acceptus et gratus est Deo Domino nostro, quia est simul cum amore Divino.

†
†††
†

ⁱ There is a two fold reason why the Society of Jesus was founded:

- that the men who become Jesuits might find within the Community the means to become saints;
- and secondly, the Company of Jesus is founded to be a missionary company, offering the means of salvation to their neighbors.

In both cases, there may be obstacles – and the Society should prepare the means to overcome any difficulty in obtaining eternal salvation.